

Apuille

<sup>3</sup>Sed nouerca forma  
magis quam moribus in domo mariti praepollens, seu  
naturaliter impudica seu fato ad extremum impulsa  
flagitium, oculos ad priuignum adiecit. <sup>4</sup>Iam ergo, lec-  
tor optime, scito te tragoediam, non fabulam legere et  
a socco ad coturnum ascendere.

Sed mulier illa, quamdiu primis elementis Cupido  
paruulus nutriebatur, inbecillis adhuc eius viribus  
facile ruborem tenuem deprimens silentio resistebat.  
<sup>5</sup>At ubi completis igne uaesano totis praecordiis inmo-  
dice bacchatus Amor exaestuabat, saeuienti deo iam  
succubuit, et languore simulato uulnus animi men-  
titur [in] corporis ualetudinem. <sup>6</sup>Iam cetera salutis  
uultusque detrimenta et aegris et amantibus examus-  
sim conuenire nemo qui nesciat : pallor deformis,  
marcentes oculi, lassa genua, quies turbida et suspi-  
ritus cruciatus tarditate uehementior. Crederes et  
illam fluctuare tantum uaporibus febrium, nisi quod  
et flebat. <sup>7</sup>Heu medicorum ignarae mentes, quid  
ueniae pulsus, quid coloris intemperantia, quid fati-  
gatus anhelitus et utrimques secus iactatae crebriter  
laterum mutuae uicissitudines? <sup>8</sup>Dii boni, quam facilis  
licet non artifici medico cuiuis tamen docto Veneriae  
cupidinis comprehensio, cum uideas aliquem sine cor-  
poris calore flagrantem!